



D I V I A V R E L I I A V -  
gustini in librum De hæresi-  
bus ad Quod vult-  
deum,

P R A E F A T I O.



Q U O D petis sapissimè atque instantissimè, sancte fili Quod vult deus<sup>2</sup>, ut de hæresibus aliquid scribam dignum lectione cupientium dogmata de vitare contraria fidee Christiane, & Christiani nominis obumbratione fallentia: scias me olim longè antequam peteres, facere cogitasse atque fuisse facturum, nisi diligenter considerans quale quantumque id esset, ultra meas vires esse sentirem. Sed quoniam fateor nullum mihi ut te instituisse poscendo, in ipsa tamen molesta instantia tua etiam tuum nomen attendi, & dixi, Aggrediar & faciam quod vult Deus. Hoc enim Deum velle cōfido, si me ad huius operis terminum misericordie favore perduxerit, ut per ministerium lingue meae tanta huius rei difficultas aut ostē datur tantummodo, aut ipso etiam plenius adiuuante tollatur: quorum duorum quod prior loco posui, iam diu est quod animo voluo ac reuoluo, & quadam meditatione contueor. Quod autem postea dixi, non me accepisse confiteor: & utrum dum hoc ago, ut efficiam, dum peto, dum quero, dum pulso, sim fortasse accepturus, ignoro: scio me tamen nec petiturum, nec quesiturum, nec pulsaturum quantum sat est, nisi & hūc affectum munere diuina inspirationis accepero. In

am ob